



Per.
Lat
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse
Laptulajdonos: Katolikus Középkolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Baresay-u. 5. (tel.: 223—808).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268—634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1941—42: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292.

De vita moribusque Stephani Széchenyi.

Pars ex oratione a primo ministrorum, *Ladislao Bárdossy* sollemnibus die anniversario CL-o Stephani e com. Széchenyi nati habita. Lectoribus maioribus Latine reddidit *Iulius Holpert* disc. Americani Bp.

Vere Hungarus erat usque ad infimum pectus. Hungarici omnes eius sensus et cogitationes. Iam in primis diurnis commentariis haec verba relata invenimus: «Me puro et germano genere Hunnorum ortum esse constat. Hoc satis demonstrat ea res, quod in Alpibus regionibus iucundissimis Helvetiae, nec non laetissimis in vallibus plagisque amoenissimis Italiae, nunquam tam intimescens, neque tam immemor mei exardescere possum, quam locis desertis et planis patriae



Pittacia Széchenyiana: 10 f.: Stephanus Széchenyi comes et insigne familiae eius. 16 f.: Academia Scientiarum Hungarica. 20 f.: Gigas saxa Portae Ferreae (faucium Danuvii) distendens. 32 f.: Pons (catenis) Suspendens et arx regia. 40 f.: Mercurius navem vaporem et locomotivum ducens.

meae.» «Tantopere mollior quodcunque patrii videns, ut fides, cymbalum, quin etiam utriculus fere moveant mihi lacrimas.»

Pius erga Deum erat, qui profitebatur et pronuntiabat viribus nos invisibilibus duci, quorum ne potentissimae quidem multo pluris essent, quam instrumentum oboediens in manu superiore.

Eum re vera maior Providentiae divinae potestas huc hanc in terram misit. «Admissus sum excitaturus gentem dormientem, quae — sic alicubi scribit — me adveniente somno oppressa iacebat. Admissus sum, qui speculum nosmet ipsos cognoscendi ante oculos nobis ponerem, ut quale esset genus nostrum cum malis et bonis artibus, cum vitiis et virtutibus

cerneremus. Admissus sum, qui tollerem, erigerem gentem, eamque Hungarici in hac terra officii conditionisque consciam redderem». Quae tria officia obsequendo, quibus tribus muneribus fungendo peracta est tota eius vita, cuncta momenta vitae carissimae, laboribus acerbissimis vexatae. Haec scribit quodam loco: «Ex quo mente utor, in unum solum consilium facultates animi mei contraxi et tetendi, quomodo patria nostra ad summam dignitatem perducere posset», — alio loco has voces, quae nullā oblivione delebuntur, nobis reliquit: «Laboro diligenter et laboro cum sensu virtutis meae; si obtruncantur mihi pennae: pedibus incedo, si amputantur pedes: manibus feror, et si etiam illae praecidentur, prolapsus me conferam, dummodo usui esse possim». Mox haec litteris mandat: «Nemo est beatus, nisi qui facit aliquid, itaque is solum, qui est operarius Dei».

Revera operarius fuit Dei. Et manus, quae iuvenilibus annis fortiter gladio rem gerebat, deinde pennam sumpsit, 46 per annos non depositura, illa manus, dum se movere valebat, aliquo modo toti nationi laborem nunquam requiescentem significavit. Academia Scientiarum Hungarica domus est ingenii eius. Condendos ludos scenicos continuos et gymnasticam revocandam ad rationem ille urgebat et ubique domi est, ubi alicui societati tectum aedificatum est. Congregationes ad salutem publicam compositae, consociationes, societates comparsorum, negotiationes industriales famam eius nuntiant et passim in civitate omnibus locis, ubi pecudes nobili sanguine et equi alacres aluntur, ubi vinicultura floret, frumentum molitur, sericum manibus sedulis netur, vivunt scintillae singulae animae eius.

Ei enim maximum, summum, ultimum propositum semper hoc erat: augeantur ingeniosa atque moralia gentis pretia, excolatur propria indoles nostra nationalis. «Sola intelligentia publica habet firmitatem, — persequitur litteris — qua maior potestas non est. Eam ad altitudinem quam maximam elevare officium nostrum pulcherrimum est, quo maiori emolumento esse patriae nequimus.»

Sentio memoriam eius concelebrari non posse dignius, quam si renovemus iterum atque iterum, quae animo cogitasset quaeque nos docuisset. Etiam illa, vel fortasse illa prima, quae perficere nondum aut non ex omni parte contigit. Etenim quam multa proposuit, postulavit, ursit, quae nondum soluta sunt, quaeque huic tempori aequae convenientia et urgentia sunt, ac fuerunt diebus eius! Id maxime agi placuit ei: «Patria non labefactata neque dissoluta altiore in gradum tollatur et propria omnium sacra habendo quam plurimi populares beati reddantur».

Libri ad moderatorem missi.

PER LO STUDIO E L'USO DEL LATINO. Bollettino internazionale. Roma. Anno III. N. 4. MCMXLI. — Istituto di Studi Romani.

A PARTHENON kétnyelvű klasszikusai. Sophokles: Oidipus király. Oidipus Kolonosban. Fordította és bevezette Babits Mihály. Franklin-Társulat 1942.

A magyar gyermek első latin olvasókönyve. Szerkesztették Dr. Kun Sándor és Dr. Törös László. Debrecen, 1941.

Balogh Károly: Antik bronztükör. Budapest, 1940. Kir. M. Egyet. Nyomda.

Qui libri omnes recensentur.

Certamen corrigendi.

Qui hanc fabulam mendosam a quodam lectore edendi causā ad moderatorem missam optime correxerint, praemio ornabuntur. Terminus corrigendi: Calendae Decembres.

De fele Chinensi. Chinā aliquando erant quattuor mercatores lini. Linum in unum horreum conferrebant. Linum mures amaverunt et magno augebant. Igitur mercatores emunt felem. Haec mures comprehendebat. Scimus, felem mures amare. Quondam iuxta focum felis se calefaciens, pedem suum combussit. Nunc sortem fecerunt, utrum quis eorum pedis vulnerati felis curam susciperet. Ille homo, quo sors obtigit, benzino lavavit vulnus et vestavit. Cras iterum infra focum felis iacuit, et pes benzinus lavatus accidit, et lini emporium inebat. Tota massa lini combusta est. Mercatores litigabant illem socium, qui felem curabat. Sed iudex iustitiam ita iudicabat, quod alii tres mercatores, quibus pedes sani obtinuerunt, solvant, cum non sanibus pedibus curret in emporium lini.

Al. Petőfi: Lavat lumen lunae se...

Lavat lumen lunae se in caeli ponto,
Angitur in silva densissima latro,
In gramine densus considit ros noctis,
Non densior eius lacrimis abortis.

Et incipit loqui innixus securi:
«Eheu, ad vetita quare me contuli?
Mater mea, semper eras mi benigna,
Quare non sequebar, mater, tua dicta?»

Domum deserui, profugus sum factus,
Inter nefarios latrones adductus;
Inter eos vivo, sum mi ipsi probro,
At viatoribus magno periculo.

Quos derelinquerem, repeterem domum,
Laetus repeterem, at nunc iam non possum:
Mater mortua est... abhinc nostra casa
Iam dudum concidit... et stat iam catasta.¹

Latine reddidit Vincentius Bors, Szegedinensis.

¹ akasztófa = Galgen = gibet

LECTORIBUS MINIMIS

Iocosa discipulorum gymn. Lucaensis.

1. Filius: Pater, eme mihi tympanum.¹ — Pater: Non emam, nam si tympanum emero, me quiescere non sines. — Filius: Noli timere, pater, nam tympanum nunquam pulsabo, nisi tum, cum dormies.

2. Porta cuiusdam sepulcreti² hanc inscriptionem insolitam intrantibus ostendit: «Hic illi solum mortui sepeliuntur, qui in hoc pago³ vivunt».

3. Iudex in iudicio ad reum:⁴ «Viri iurati te criminis absolverunt,⁵ nam non credunt te esse furem suis. Liber es, licet tibi abire. — Reus: Gratias tibi, domine iudex, ago pro benignitate.

¹ dob = Trommel = tambour ² temető = Friedhof = cimetière ³ falu = Dorf = village ⁴ vádlott = der Angeklagte = accusé ⁵ felment vmi alól = freisprechen = acquitter

Ergo sus, quem ex area Antonii furto⁶ abegi,⁶ vere meus est?

4. *Adverbium.* Magister: Cum dico «Discipuli libenter in ludum (= scholam) eunt», quod verbum est *libenter*? — Discipulus negligens: Sordidum⁷ mendacium.

5. Iudex: Ergo reus damnatus est: decem testes eum furari⁶ viderunt. — Defensor: At, domine iudex, plus quam mille testes scio, qui reum furari non viderunt!

6. Filia: Mater, in patinam⁸ lactis plenam misiluit. — Mater: Mehercule, molestum est. Et tu quid fecisti? — Filia: Statim felem⁹ in patinam inieci.

7. Eva: Audivistine iam? Magno in periculo eram et iam timebam, ne veneno¹⁰ absumerer.¹⁰ — Maria: Hem! Forsitan linguam tuam momordisti?¹¹ *Camillus Jelmini.*

8. Puer duos nummos invenit, tamen coepit flere. Quidam eum rogavit cur fleret. Respondit puer: «Fleo, quia si duos nummos matri meae dono, pater me verberat;¹² si autem patri eos dono, mater me verberat; si denique eos retineo, ambo parentes mei me pulsant.¹²» *Victoria Wyss.*

9. Medicinae professor graviter¹³ uxori suae dicit: «Cogita, Terentia, hanc rem: quotiescunque respiras,¹⁴ homo vitā excedit...» — Uxor respondet: Vis igitur forsitan hac re dicere, ne amplius respirem?... *Johanna Jackson.*

10. Mercator pecuarius¹⁵ litteras mittit ad collegam suum, in quibus ille haec legit: «Cras omnes sues in statione sint! Te quoque ibi exspecto. Si vis boves, memineris¹⁶ mei!¹⁶» *Marius Selva.*

11. Paulus: Habes iam coniugem? Sed quem? — Petrus: Feminam pulcherrimam. — Paulus: Quam ridicule respondes! Novistine forsitan aliquem, qui virum coniugem habet? — Petrus: Sane novi: soror mea. *M. Casanova.*

12. *Historia naturalis.* Magister in schola pagana explicat: Simia¹⁷ Satyrus¹⁷ animal est, differt¹⁸ enim ab hominibus hoc, quod loqui non potest. Si posset dicere: «Simia Satyrus sum», iam non animal, sed homo esset. *M. Buckhard.*

⁶ (el)lop = stehlen = voler ⁷ aljas = gemein = commun ⁸ fál = Schüssel = plat ⁹ macska = Katze = chat ¹⁰ magát megmérgezni = sich vergiften = s'empoisonner ¹¹ megharap = beißen = mordre ¹² megver = prügeln = battre ¹³ komolyan = ernst = gravement ¹⁴ lélekzetet vesz = atmen = respirer ¹⁵ marhakereskedő = Viehhändler = marchand de bœufs ¹⁶ gondolj rám = denk an mich = pense à moi ¹⁷ Orang-Utang ¹⁸ különbözök = sich unterscheiden = différer

Varia.

De IUVENTUTE. Advēnit nostra «Iuventus!» Magnum est gaudium in classe VI. Gymnasii Archiepiscopalis Budapestinensis, cum ostiarius¹ nuntiat: «Iuventus! Dominus professor Papp affert Iuventutem!» Valde exspectamus, ut Iuventus a domino magistro nobis dividatur. Libentissime iocosa legimus, quod valde delectatur illis et libenter solvimus aenigmata quoque. Dolendum est, quod Iuventus admodum raro prodit. *Ernestus Andrásfay*

disc. gymn. Archiep. Bp.

De Bismarckio et ostiario.¹ Bismarckius, vir² rerum² civilium² peritus,² adulescens in domo habitabat, quae tintinnabulum³ non habebat, servum igitur vir voce tintinnabuli advocare non potuit. Itaque ostiarium oravit, ut conclave⁴ suum tintinnabulo instrueret.⁵ Ostiarius respondit: «Quod poscis, domine, facere non possum». Nonnullis diebus post, meridie fragor⁶ sclopeti⁶ auditus est. Incolae totius domus omnes et ostiarius in conclave cucurrerunt, unde fragor exauditus est. Conclave idem erat, ubi Bismarckius habitabat. Ostiarius casum⁷ horribilem timens, facie⁸ terrore mutata intravit. Bismarckius tranquille sedebat ante mensam, in qua cum ostiarius sclopetum iacere vidit, mirans interrogavit: «Quid factum est?» «Nihil mirabile» — respondit Bismarck tranquille —, quia non habeo tintinnabulum, sclopeto servum advocavi. Etiam postea ita faciam.» Ostiarius nihil dicens exiit, sed illo ipso die conclave Bismarckii tintinnabulo instruxit. *Ioannes Tóth disc. Csurgonensis.*



Discipuli gymnasii Archiepiscopalis Bp. cum magistro *Ioanne Papp.*

¹ házmester, kapus = Hausmeister, Pförtner = concierge ² politicus ³ csengő = Klingel = sonnette ⁴ szoba = Zimmer = chambre ⁵ felszerel = versehen = monter ⁶ puskadőrej = Flintenknattern = détonation d'un coup de fusil ⁷ szerencsétlenség = Unglück = malheur ⁸ arc = Miene = mine

De mercatura¹ virosum. Maritus expergiscitur² et magnopere flentem invenit uxorem suam. «Carissima — interrogat — quid factum est?» «O, somnium vidi, — singultat³ illa, — somnium horrendum.» Maritus audire vult somnium, ut uxorem consoletur.⁴ Diu excusans mulier tandem: «Somnians — inquit — vidi me in viis ambulantem et ad ingentem tabernam advenientem. Ibi passim⁵ tabulae omnis generis pendebant: «Mariti venduntur». Pulcherrimi poterant emi 1500, quin⁶ etiam⁶ iam 1000 pengonibus, et etiam 100 pengonibus valde amabiles». Tum maritus interrogavit eam benigne: «Vidisti-ne quendam, qui similis mihi erat?» «Duodeno⁷, singultavit muliercula, in fascibus colligatos! Singuli fasces 10 pengonibus 50 nummulis vendebantur!»

Maria Diró disc. Kaposvariensis.

¹ kereskedés = Laden, Handlung = magasin ² felébred = erwachen = s'éveiller ³ zokog = schluchzen = sangloter ⁴ megvigasztal = trösten = consoler ⁵ szerteszt = allenthalben = de toutes parts ⁶ sőt = sogar = de plus ⁷ tucatjával = dutzendweise = à la douzaine

LECTORIBUS MEDIIS

Nuntii recentissimi.

De IUVENTUTE. Nuper, cum 25 annos ephemeridis nostrae expletos commentariis¹ de historia IUVENTUTIS editis celebravimus, haud pauci nos litteris laudatoriis aut gratulationibus honoraverunt, sic e. c. : Sua Eminentia princeps primas Hungariae, Suae Excellentiae minister cultus et institutionis publicae Hungariae et archiabbas² Montis Pannoniae, illustrissimi domini abbas Zirciensis et complures rectores studiorum superiores, professores extranei Merten (Hamburgi), Bellissima (Pisis), Avenarius (Romae), etc.


Etiam multae ephemerides mentionem 25 annorum IUVENTUTIS fecerunt, et in Hungaria, et

lastico 1938—39 «Juventus», diretto attualmente dal prof. Giuseppe Wagner, ha avuto, in 23 Paesi del mondo, più di 700 lettori. Nel numero commemorativo del bollettino — come anche in quelli precedenti — hanno collaborato anche italiani, e recentemente G. Volonterio e D. Bertoni.


Il prof. Hóman, Ministro della Pubblica Istruzione ha messo in rilievo i grandi meriti del periodico *Juventus*.

¹ emlékkönyv = Gedenkbuch = album ² főapát = Erzabt = archiabbé

Geysa Bárczi dr. collaborator noster, linguae Francogallicae aliarumque peritissimus, item sodalis Academiae Scientiarum Hungaricae, professor Universitatis Scientiarum Debrecinensis factus est. Qua de promotione laetabili novo professori imo ex corde gratulamur.



Kiev urbs Ucraniae ante bellum.



Templum Pietatis in Foro Regio Monaci (München).

aliis in civitatibus, e. c. «SOCIETAS LATINA» Monacensis totam fere paginam ephemeridi nostrae impertivit. «ITALIA» autem Mediolanensis die 15 m. Iulii haec scripsit:

Un bollettino per la gioventù pubblicato a Budapest compie il 25. anno (o. m.) Il bollettino «Juventus» fondato nel 1910, in Budapest, dal professore del liceo dei Piaristi P. Antonio Prónai e pubblicato a cura dell'Associazione dei Professori Cattolici Ungheresi, ha raggiunto ora il 25° anno della sua esistenza ricca di proficua attività; il bollettino è diffuso ormai in tutto il mondo. Lo scopo fissato dal fondatore e dai primi collaboratori era ed è di propagare, attraverso alla lingua latina, i sublimi insegnamenti della Religione e della Patria nelle schiere della gioventù delle scuole medie, destare e mantenere vivo l'interessamento fecondo per gli studi classici pel tramite di rapporti amichevoli dei popoli colti. Articoli di vari argomenti, perfino aneddoti, barzellette, notizie et enigmi servono a far promuovere l'uso del latino, magari con formazione di nuove parole ed espressioni per i concetti ed avvenimenti odierni.

La direzione di «Juventus» cerca da parecchi anni di mettersi a contatto con i propugnatori del «movimento neolatino» all'Estero, e tra gli altri con l'Istituto di Studi Romani». Nell'anno sco-

Nuntii bellici. Germani cum sociis magis magisque ad Asiam versus repellunt bolscevistas. Fenni paene totam Careliam occupaverunt, Germani caput Ucraniae, urbem Kiev ceperunt et iam urbem Leningrad oppugnant. Quia Germani sociique ante Cal. Oct. 18 milia curruum¹ bellicorum,¹ 22 milia tormentorum,² 14.500 aëroplanorum aut destruxerunt aut ceperunt, Russorumque 2.500.000 ceperunt, Stalin summus tyrannorum Russiae curus bellicos aliaque instrumenta belli 1.000.000.000 thalerorum³ Americanorum³ ab Americanis Anglisque poscit, sine quibus enim bellum diutius gerere non potest. Interim orbis terrarum aut ridet aut indignatur ignorantiam Rooseveltii praesidis Americanorum nec non primorum quorundam Anglorum, qui declarant bolscevistas esse humanos, pios, libertatis humanae et religionum defensores.

Victores certaminis Latini Budapestinensis sunt :

1. Tiburtius Wittmann disc. Josephini Jászberényensis. 2. Julia Vidakovits disc. Margarethei Bp. 3. Ioannes Batta disc. gymn. conf. Helv. Debrecinensis. — Laudati sunt : Theophilus Zulauf disc. gymn. evang. Bp. 2. Camillus Szoika disc. Emeritani Bp. 3. Julius Kőszeghy disc. Matthiani Mátyás-

¹ vulgo : tank ² ágyú = Kanone = canon ³ dollar

földiensis. Quibus lectoribus nostris de pulchro successu sincere gratulamur.

Ladislao Varga doctori novo docenti privato Universitatis Debrecinensis, venia docendi disciplinam «Poësis neolatina in Hungaria, præcipuâ ratione habitâ generum lyricorum» imperitata est. Propugnatores neolatinitatis etiam nos salutamus.

Nuntii varii minores. In Germania nuper usu scripturae Gothicae sublato⁴ discipuli in scholis scripturam Latinam doceri iussi sunt. — Diebus 5—7 m. Oct. Congressus Catholicorum Budapestinensis primum etiam catholicos Transsilvaniae et regionis meridionalis congregavit, quibus *Iustinianus Serédi Cardinalis* princeps primas patriae nostrae benedictionem apostolicam impertivit. — Magna multitudo spectantium novissima opera artis architectonicae Germanorum tabulis et exemplis⁵ minoris formae repraesentata in expositione Budapestinensi admirati sunt, qua demonstratum est Musas ne⁶ inter arma quidem⁶ silere (vide imaginem pag. 12.). — Multi nocte diei V-i huius mensis spectabant Martem stellam, quae prope lunam clarissime splendebat. Mars enim etiam in terrae propinquitatem advenit, a qua nunc 615 centena milia (= 61,500.000) chilometrorum aberat, cum Calendis Juliis 119,000.000 afuisset.

⁴ megszüntet = beseitigen = faire cesser ⁵ modell = modèle ⁶ még... sem = nicht einmal = pas même

De inauguratione novi aedificii Scholarum Piarum Vaciensis.

Collegium Scholarum Piarum Vaciense ab episcopo *Sigismundo e comitibus Kollonitz* est conditum a. 1714., ergo plus ducentorum annorum



Iulius Zimányi provincialis Scholarum Piarum, *Stephanus Léh* magister novitiorum, *Ladislau Szemenyei* a Scholis Pii.



Novum gymnasium Scholarum Piarum Vaciense.

spatium respicere potest. Post annos foundationis amarus multisque curis plenus collegium nostrum cum subsidiis largitorum¹ munificentissimorum efficacibus iam alterâ parte saec. XVIII. in floribus erat. Accidit quidem annis currentibus, ut vita scholae propter negligentiam, paupertatem et statum temporis in discrimen adduceretur, immo quater institutio quoque interrumpetur: semel propter pestilentiam in urbe saevientem, ter autem temporibus bellorum, cum collegium valetudinario bellico addictum est, nihilominus providentia divina saepius legatis² fautorum liberalium non mediocribus (*Andreas Berkes episcopus consecratus, Cristophus e comitibus Migazzi episc. card., et rex Franciscus I.*) ei auxilium tulit.

At salus instituti et facultas octo classes aperiendi tantum multo post, anno 1880. advenit. Tum *Constantinus Schuster* episcopus Vaciensis, quondam sodalis ordinis nostri, aedificio antiquo alam novam: auditorium³ delineatorium³ et palaestram⁴ adiunxit, quo factum est, ut dehinc iam nihil impediret, quominus institutum nostrum prospere et fructuose vigeret.

Tamen annis posterioribus frequentia scholae et necessitates temporum modernorum amplificationem veteris aedificii exegerunt.⁵ Aedificatio medio anno 1939. incipitur, sed evocatio⁶ operariorum architectorumque ad militiam, inopia materiae necessariae, etc. exitum operis valde retardaverunt, immo fere impediverunt. Eo tempore discipuli classium gymnasii nostri superiorum sponte suâ ad opus aggressi sunt: lateres⁷ portabant, arenatum⁸ permiscebant, ita ut re elati⁹ dicere possemus discipulos nostros et in negotiis laboriosis strenue rem gessisse. Itaque alumni nostri opere bene facto animo contento unum ex collegiis Regni nostri pulcherrimis ac modernis spectant, eo magis, quod hoc aedificium partim a discipulis erectum iure discipulorum proprium dici potest. *Carolus Andor*, alumnus quondam Scholarum Piarum, laborem validum iuvenum his distichis (convertit: A. Simon dr. Sch. P.) sempiternae gloriae commendavit:

¹ adakozó = Spender = donateur ² hagyaték = Vermächtnis = legs ³ rajzterem = Zeichensaal = salle de dessin ⁴ tornaterem = Turnsaal = salle de gymnastique ⁵ poposcerunt ⁶ behívás = Einberufung = rappel ⁷ téglá = Ziegel = brique ⁸ habarcs = Mörtel = mortier ⁹ büszke vmire = stolz auf etwas = fier de qq.

*«Intrantes, audite, Domum cupidi literarum:
Huius portarunt discipuli lateres!
Et vos non nisi portantes huc saxa laboris
Patriae amatores iure vocabimini.»*

Speramus in novo aedificio, quod Praeposito Provinciali Sch. P., *Iulio Zimányi*, episcopo



Desiderius Hüttl prof. Polytechnici, architectus delineator scholae (ab laeva), *Nicolaus Huber* architectus mensor, assistens professoris, *Elmerus Papp* rector gymnasii, *Ludovicus Szántai* faber aedium, qui operi praefuit.

dioceseos, ministro institutionis publicae, magistratibus diversis et institutis praesentibus consecratum et rectori collegii, *Elmero Papp* traditum est, sententiam Fundatoris Ordinis nostri, Sancti Iosephi Calasantii eventu in dies meliore comprobatum iri: *Ad maius pietatis et scientiae incrementum!*
Ioannes Jeney dr. Sch. P. Vaciensis.

Sex centesimi.

Scriptis: *Zs. Harsányi*, Latine reddidit: *Ios. Guelmino* Bp.

Nemo circumstantium assentitur²⁴ ei. Taedet omnes murmuris eius. Ille autem, quasi orator plebis esset, resonantes²⁵ expetit. Effectum verborum videre vult. Carrus quassans²⁶ proficiscitur, cubitos²⁷ infigit in latera vicinis et clavis²⁸ pedis²⁸ vexatos conclamare cogit. Ille autem porro indignatur: «Sex centesimi! Quid? Hodie non est tam parva pecunia. Iuvat retinere. Semper idem exigitur,²⁹ semper: corollarium.³⁰ Satis habeat sibi, quod muneri³¹ praeest.³¹ Non habet nummulos. Ita habeat caput suum, ut non habet nummulos!»

Frustra autem comprobationem exspectat: ita est, recte censes.³² Taedet omnes senis morosi. Alfredum praecipue taedet eius.

Conductor haec omnia non audit: ibi laborat in carro, qui ad collapsum³³ refertus quassatur.

Senex, qui magis atque magis impatiens fit, murmurat: «Quid fit denique? Ad forum Vörösmarty descensus sum. Quid fit meis sex centesimis? Eia, conductor, quid fiet meis sex centesimis? Accipiamne?»

— Ita est — clamat ei conductor et proprimere se luctatur³⁴ inter corpora compressa. In carro medio tentat, si possit brachium extendere usque ad dominum, cui sex centesimos debet. Inter capita et brachia loris³⁵ adhaerentia, ut potest, extendit manum, inter digitos eius videntur sex centesimi. Carrus interdum pervenit ad forum Vörösmarty. Conductor autem non bene meminit et non huic seni acidissimo³⁶ porrigit sex centesimos, sed Alfredo, nam hunc³⁷ illum³⁷ esse putat³⁷ memoria. Oculi Alfredi emicant:

— Mihi sex centesimos vis dare? — dicit conductori.

— Ita est, respondet ille bona³⁸ fide.³⁸

— Non sunt mihi opus. Retine istos!

[[Carrus restitit. Senex malignus in gradu stat. Viatores non possunt descendere, priusquam ille descendat. Iam obiurgatur.³⁹ Frustra clamitans descendere cogitur. Et dum viatores ascendunt inter se⁴⁰ ultro⁴⁰ citroque⁴⁰ protrudentes,⁴⁰ senex furore actus inclamat Alfredo: «Quid hoc tibi

²⁴ helyesel = zustimmen = donner son assentiment
²⁵ Echo ²⁶ döcög = rütteln = cahoter ²⁷ könyök = Ellenbogen = coude ²⁸ tyúkszem = Hühnerauge = cor ²⁹ arra utazik = fordern = faire payer ³⁰ borraló = Trinkgeld = pourboire ³¹ állása van = eine Anstellung haben =



Discipuli Vacienses lateres portant.

être posté ³² jól mondja = Recht haben = avoir raison
³³ rogyásig = bis zum Hinsinken = à crouler ³⁴ erölködik = sich anstrengen = s'efforcer ³⁵ szij = Riemen = lanière ³⁶ ecetes = essigsauer = acéteux ³⁷ összetéveszti őket = er verwechselt sie = prendre l'un pour l'autre
³⁸ jóhiszeműleg = in gutem Glauben = de bonne foi
³⁹ szidják = schelten = réprimander ⁴⁰ lökdösődve = hin und her stoßen = bousculer

vis? Quomodo⁴¹ sumpsisti⁴¹ tibi⁴¹ meos sex centesimos conductori donare?»

Alfredus quiete aspicit illum: «Conductor mihi dare voluit sex centesimos, qui mihi non debebantur. Ideo rogavi, ut retineret. Te et rem tuam, dolendum,⁴² non nosco.»

Exsonat tintinnabulum et carrus iam in motu est. Conductor in carro medio, nullius rei conscius, laborat. Senex stomachosus flammas vomit⁴³ et rudens⁴⁴ iactat voces raucas⁴⁵ post carrum. Alfredus vultu dulcissimo adstat et gubernatione mundi penitus⁴⁶ contentus est.

⁴¹ hogy jön hozzá = sich erlauben = prendre la liberté
⁴² sajnálatomra = es tut mir leid = hélas ⁴³ okád = speien = vomir ⁴⁴ ordít = brüllen = hurler ⁴⁵ rekedt = heiser = rauque ⁴⁶ tökéletesen = gänzlich = tout à fait

Ostiam renascituram esse.

Scripsit et in periodico suo «Tükör» edidit Jos. Révai, convertit Aem. Láng (Keszthely).

Terra urbis bismillennariae largā solis luce perfunditur. In dumetis lacerti caerulei reptant fugiuntque et arbusta sub sole ardenti cicadis resonant: sic se fundebat sol, sic ludebant lacerti, sic volitabant papilionis varii coloris etiam tum, cum Epaphroditus millionarius Viā Sepulchrorum ambulabat nescio quae negotia meditans. Dum in sole introrsum pergimus, vestigia¹ huius emporii et portus celeberrimi quondam florentis ita nos movent, ut paene videamus magnas naves mercatorias in ostio Tiberis inque mari flamme iactatas, paene audiamus in plateis² dissonas voces linguarum orientalium et meridianarum occidentaliumque, paene vertigine³ corripiamur in turba hominum omnis generis — tantummodo aëroplani gyros⁴ per aëra ducentes⁴ monent nos longe ab Antiquitate⁵ discessisse. Antiquum imperium dissolutum est et tantum recordatio et memoria viget imperii veteris Romae, dominae terrarum tunc temporis notarum.

Voluntas unius viri sufficiebat, ut agri desolati novam faciem induerent et urbs emortua ad vitam rediret. Mussolini dux Italiae in animo habet exhibitionem⁶ internationalem⁶ anno MCMXLII. instituire et coniunctum urbem antiquam portu nobilem effodere. Ducentis milibus horis⁷ operariis⁷ superficies⁸ agri⁸ circiter octoginta et centum milium metrorum⁹ quadratorum⁹ effodietur, ex quibus terra circa septuaginta milium metrorum cubicorum¹⁰ egeretur. Paene dimidia pars operis magni iam peracta est. Mentem Romanam in Ostia condenda nulla vis¹¹ Graeca aut Hellenistica turbavit, urbs, quamquam emporium internationale fuerat, tamen tota Romana mansit. Ideo Ostia viores de antiqua urbe notiones reddit, quam Pompeii vel Herculaneum vel Leptis Magna¹² vel Sabratha¹³ vel orientalis Palmyra.¹⁴ Portus, fora, basilicae, templa, balnea, thermae, domus¹⁵ mercatoriae,¹⁵ horrea¹⁶ aliaque receptacula¹⁷ et computatoria¹⁸ Ostiae veram urbis faciem aperient.

Cum sub calido sole Viā Sepulchrorum, quae in urbem fert, ambulat, et praeclaram portam marmoream unius vel alterius sepulchri Amoresque in marmore incisos — aeterna symbola desiderii caelestis — admiraris, intelligis hanc ambulationem tibi nunquam in oblivionem esse ituram. Ibi ambulabat quondam Minucius Felix, causidicus Romanus cum amicis, et dum pueris delectabantur, qui in mare lapillos iactabant super



Via sepulcrorum Ostiensis.

aequor eius saltuatim percurrentes, de paganitate et Christianitate, de duabus contemplationibus¹⁹ vitae¹⁹ contrariis disceptarunt. Ibidem morabatur S. Augustinus cum matre, S. Monica, quod tabula marmorea prope theatrum memorat verbis *Confessionum*,²⁰ eius semper aptis ad permovendum: «Imminente die, quo ex vita erat exitura, hic Ostiae diu soli colloquebamur, valde dulciter; sane quidem non est miserrime mortua, immo nequaquam est mortua». Haud longe inde cernitur *cella trichora*, sacra aedes Christiana, quae trifolium²¹ imitatur, deinde tabula²² memorialis²² martyrum tertio saeculo manu carnificis peremptorum parieti sacelli inserta. Cyriacus episcopus et Archelaus diaconus nec non Aurea virgo Ostiae pro Christo mortui sunt. Quam mira diversitas cognitionum²³ recte vivendi! Eodem tempore, cum incolae urbis totā vitā omnem curam et operam in auro quaerendo ac conferendo ponebant, *virgo aurea* vitam et sanguinem litavit pro idea Christiana, quam optimi illi mercatores tunc temporis mente concipere adhuc non potuerunt.

Ostia nunquam fuit urbs Christiana, ut Salona²⁴ vel Carthago. Attamen praeter sacraria Mithrae et templa Veneris fides Christiana quoque convalescere potuit. *Veneri sacrum* — dicit inscriptio sacelli Veneris propter ipsam tabulam memorialem Martyrum.

Continuabitur.

¹ rommaradványok = Ruinen-Überreste = débris
² út, utca = Straße, Gasse = rue ³ szédület = Schwindel = vertige ⁴ kering = kreisen = décrire des cercles ⁵ ókor = Altertum = antiquité ⁶ világkiállítás = Weltausstellung = exposition universelle ⁷ munkaóra = Arbeitsstunde = heure de travail ⁸ földterület = Bodenfläche = terrain ⁹ négyzetméter = Quadratmeter = mètre carré ¹⁰ köb = Kubik = cube ¹¹ befolyás = Einfluß = influence ¹² Urbs in Africa, hodie Lebda in Tripoli ¹³ oppidum Africae, Syrti minori propinquum, hodie Sabart ¹⁴ urbs Syriae (Magnificae ruinae ad Thedmur!) ¹⁵ üzletház = Geschäftshaus = maison de vente ¹⁶ gabonaraktár = Getreidemagazin = silo ¹⁷ raktár = Magazin = magasin ¹⁸ iroda = Kantor = comptoir ¹⁹ világnézet = Weltanschauung = idéologie ²⁰ Libri Confessionum S. Augustini ²¹ háromlevelű lóhere = dreiblättriger Klee = trèfle à trois feuilles ²² emléktábla = Gedenktafel = plaque commémorative ²³ felfogás = Auffassung = conception ²⁴ urbs Dalmatiae

AENIGMATA

Solutiones aenigmatum numeri X (m. Iunii) : 1. Male, aper, Leda, eram. — 2. Dedi, erat, dare, iter. — 3. Panis, agere, nepam, irate, semel. — 4. Icelos, Ceres, erga, lea, os, s. — 5. S, is, lis, alis, malis. — 6. Proprium est stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. — 7. Angelus pastoribus dixit vigilantibus : Nuntio vobis magnum gaudium, Salvatorem hominum, in terris genitum. Gloria in excelsis Deo. — 8. 1. Fundani. 2. Idumaea. 3. Inaequo.

Aenigmata recte dissolverunt : V. Árvay, **Prisca Baráth**, M. Bartha, E. Böhm, P. Cholnoky, H. Eckhardt, T. Elekes, L. Faust, I. Fáy, Cl. Göbler, V. Hoffmann, N. Horváth, **Susanna Kálmán**, **Gratia Kerényi**, M. Kertész, E. Kis, H. Korompay, M. Kossaczky, E. Madocsay, G. Margittay, M. Pieke, S. Pollacsek, I. Pukánszky, I. Ruitz, G. Schlosser, M. Soltész, E. Somogyi, M. Székely, A. Sziberth, Au. Turmer, S. Vadász, I. Vaszkó (*Szilágyianum*), Fratres Székely (*gymn. Archiep.*), **Carolus Perlaky** (*Scholae Piae*), Cath. Wohl (*Veresianum*), G. Wollitzer (*Berzsenyanum*), Z. Biró (*gymn. conf. Helv.*) *Budapestinenses*. **Ernestus Réti** *Dombóváriensis*. **Ioannes Szendrei Makonensis**. Fr. Kreiner *M.-Canissanus*. M. Kónya *Sabariensis*. — Litterae crassae indicant eos, quibus Societas Mag. Cath. Med. Schol. praemium donavit.

1. Quadratum magicum.


1.	2.	3.	4.	
				E I I I I. Patri deorum.
				L O O P 2. Quod auctores scribunt.
				S S T T 3. Forma verbi «velle».
				U U V V 4. Pronomen demonstrativum.

Col. Csathó disc. Makonensis.

2. Pyramis.

- 1 Consonans.
 - 2 1 Suffixum nominativi sing.
 - 3 2 1 Contrarium urbis.
 - 4 3 2 1 Dominus.
 - 5 4 3 2 1 Contrarium mitis.
- Dionysius Szentgyörgyi disc. Cist. Agriensis.

3. Ad saltum equulei.

ci-	ex-	fi-		qua-	o
e-	or.	am,	et	sed	dí mo;
cru-	fa-	ri	O-	a-	re ti-
	ne-	ci-	id	sen-	o, et
			sci-		

Hoc aenigma recte solum pulchros versus Catulli dat.
Franc. Váradi (Scholae Piae) Szegedinensis.

4. Singulis syllabis supplendum.

- lius • bilis Litterae initiales rem tibi, lector.
- sus • plum caram dant.
- sta • banus
- enim • lus

Phil. e comitibus Merán
disc. Piani Quinqueecclesiensis.

5—6. Logographi.

Omnes sermones loquor et me homines omnium nationum libenter exaudientes intellegunt.

Elda Ganna disc. Lucanensis (Helvetia).

*Aes sacrum turri pendens voco Christicolorum
in templum turbam propitiare Deum.
Immiscere iuvat vocalem? Quam mare Tuscum
alluit, Italiae cernitur ora tibi.*

Fr. Palota (Trebts in Moravia)

7. Diagonalis in quadrato.

1.									
2.									
3.									
4.									
5.									
6.									

A A A A A D
D D E E E E
I I I I I L
M N N P R S
S S S S T T
U U X Y Y

1. Oraculum Apollinis prope Miletum. 2. Nomades in India. 3. Nomen antiquum fluminis Don. 4. Sinus Africae. 5. Rex clarissimus Ithacae. 6. Fluvius in Aetolia. — Diagonalis nigro significata poetam Italiae, qui coelum et Tartarum cecinit, indicat.

Guilelmus Volonterio disc. Lucanensis.

8. Charta visitantis.

P. Seb. Nilus	Tibur
---------------	-------

Litteris recte dispositis accipies magistratum plebeium.
Steph. Ipkovich disc. Ginsiensis.

9. A porco usque ad lardum.

porcus
lardum

Zoltanus Biró disc. gymn. conf. Helv. Bp.

Nota. Lectoribus minimus : 1—5, mediis et maioribus 6—9. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem J. Wagner (*Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20.*) mittant.

Terminus solutionum: Calendae Decembres.

Epistolia officialia.

Corrigenda numeri I (Sept. 3 : pag. 5 : pro : «Bolscevistae dedunt se militibus nostis» (inscriptio imaginis) lege : Aviatores descendere coacti dedunt se hostibus : ex pellicula, quae hungarice inscribitur «Stukák» (aëroplana inter delabendum pugnantis). — pag. 6 : pro : «custodiatum» lege : fundorum.

Omnes socios, qui singula ephemeridis exempla urgent, vel quascunque pecunias mittunt, rogamus, ut administratorem adeant (Alex. Regényi, Budapest, VII. Barcsay-u. 5.) si retardationem et moram facere nolunt. Contra solutiones aenigmatum et omnia, quae ad IUVENTUTEM ipsam spectant, moderatori mittantur.

Iam multis respondere debeo, sed inopia loci coactus responsum differendum est.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator : Fr. Kohl jun.